

III. Passio Christi Domini.

Inspicere vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplectendum. Et his non moveris, ut peccata deseras. Moveat te amor boni Jesu, & ad eum reverteris. Crudelis es, si fructu laboris sui Jesum tuum defraudes: frustra pro te mortuus est. Sanguinem suum serio de manu tua requiret, & tota passio Christi stabit contra te ad majorem damnationem tuam.

CAPUT V.

Breyes Meditationes de Passione Domini.

Sive peregrinatio Viatoris cum Christo patiente.

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis sicut dolor meus.

Thr. 1.

Perge Viator plorans, quod trahent funes, quod raptantur catenæ, quod crudelis feritas incitabit. Perge quod rapit dolor & amor. Sequere Jesum, qui doloris passibus immensum nostrorum scelerum, & infinitæ suæ bonitatis campum dimittitur. Desinit ex vulneribus Christi sanguis pro te, o Viator, sed non in te, nisi tu facias eum per gratitudinem recurrere ad principium suum.

Amor SS. Trinitatis, totus con-

sistit in Passione & vulneribus Christi: illa enim movent Deum ad fundenda liberaliter in nos beneficia, ut docent Doctores, qui ajunt, omnia dona gratiæ effectus esse & præmia meritorum, ac vulnere Christi. Si cupis à Deo diligi, ama vulnera Christi, commorare in illis sacris cavernis. Tota tua occupatio sit in vulneribus Domini.

Unde exclamat S. Bonav. *O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Christum nesciunt intrare. Ecce apertus est thesaurus divini sapientiæ, & charitatis aternæ. Intra per vulnere aperturam, & delicias obtinebis. Certa enim & secunda expectatio promissæ beatitudinis* (inquit S. Leo) *ubi est participatio Dominiæ Passionis.*

Christus S. Gertrudi dixit: *Filia, qui amanter Crucifixum in vita intuetur, cum amanter Crucifixus in hora mortis respicere dignabitur.*

Virgo quædam Crucifixum fixè intuens, amore æstuans exclamabat:

ò Deus! ò amor! ò excessus amoris, da mihi tantam vocem, quæ audiatur ab Oriente ad Occidentem, à coelo usque ad infernum, ut te Amorem meum omnibus inelamem, ut ab omnibus agnoscaris, & avertis.

S. Edmendus Episcop. Cant. demonem in virtute sanguinis Christi adegit ad significandum sibi, quo potissimum modo superari potest. Adjuro te, inquit per aspersionem sanguinis Christi, in quo facilius te vincere possum? Respondit dæmon: Deo sic ordinante, in eo quod nominasti, illius sanguinis virtute facile vincor.

Simplex recordatio Passionis Christi (teste B. Alberto magno) multò plus valet, quàm si quis integrum annum in pane & aqua jejuna-ret; vel si quotidie virgis & flagellis cederetur usque ad effusionem sanguinis; vel si quotidie legeret integrum Psalterium. Apud Discipul. *Ser. 1, in die Parasceves.*

Cuidam Viro eximie sanctitatis inter precandum, medium effica-

cissimum pro excitando in se amore divino flagitanti, respondit Christus: Exerce te in humanitate mea passionata & vulnerata; nam in ea maximè lucet mea charitas, non aliter, quàm sol in suo splendore, rosa rutilans in suo odore, ignis vehemens in suo æstu & ardore.

Christus in horto sudat.

EGrederet Viator, ac plorans committit Jesum euntem in hortum Olivarum, vel potius in montem myrrhæ, & collem thuris. Primus viatori Deo ad hortum erit passus, ut lillum collocaetur iter spinas acerbissimorum cruciatuum.

Cogita, dum jam egreditur Christus ad montem Olivarum, cum quanto dolore universa Matri suæ, quæ sibi in passione eventura erant prædicit: quia omnino oportet Filium hominis conspui, flagellari, crucifigi.

Vide quomodo mæsta Mater ad tantum nuntium exanimata in brachia

chia Filii sui præcidit. O dolorem cruentum Matris!

Penetra hic viscera Filii & Matris, & quomodo uberrimæ ex oculis utriusque erumpunt lacrymæ.

Aspice, quàm triste spectaculum sit hoc Matrem Dei & Filium lacrymis difluere. Eheu! quò vadit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum, quò vadit? ad hortum, ubi sudabit sanguinem; ad Annam, ubi alapis cruciabitur; ad Herodem, ubi illudetur ut demens; ad Prætorium, ubi cadetur ut reus; ad montem, ubi suspendetur ut latro.

Cum lacrymis inspicere, quantis angustiis prematur bonus Jesus in hortum veniens. O triste spectaculum! En protinus Dei Filius, Genitorum cælestium voluptas expallescit, submittit genua: procumbit humi, divinum os solo adsternit, cum morte luctatur.

Imaginare, quò videas per poros & venas, sanguineas erumpere guttas.

Interroga Dominum Jesum: cur

I 5 tam

tam præmaturè ex illius corpore erumpit sanguis, stillant venæ, pluuunt euncta membra?

Cogita, si primo in passu, Viator, sanguinem sudat, quis sperandus est tam atrocis transitus, ac itineris progressus.

Affectus. O, mihi

O Mi bone Jesu! quò tua demum in nos abibit liberalitas? paulò ante sub extremæ cœnæ finem, tuum nobis in calice sanguinem propinasti: jam illum iterum in tuo corpore, in horti pavimento propinas?

Cur ita, ò amor meus, ipse tormenta prævenis? nondum adsunt carnifices, nondum te flagella lacerant, nondum aculeatæ spinæ divinum caput perfodiunt, nondum clavi manus pedesque configunt, & tamen jam nunc tam uberes cruoris fontes fluunt? Quid cras tecum fiet, cum totum corpus unus erit livor, vulnus unum?

O nimium amorem istum, cui explendo mors una satis non fuit, sed ante mortem vitam hanc nostram mori coegit! ita ut nostri amanissimus Dominus membratim interire guttatim contabescere, & per lenta sanguinalis stillicidia diversis viis animam abire voluerit.

O felicem terram, quæ Domini tui cruorem combibisti, nunquam tam pretioso rore irrigata! Quis mihi det, ut amplectar locum, quem Salvatoris mei presserunt vestigia, genua contingerunt?

Quid verò purpureum nunc, & tam copiosum sudorem è corpore Jesu elicit? Eheu! peccata & scelera mea. Hoc prælum fuit, hoc torcular, quo fuit expressus: sub isto culparum mearum onere bonus Jesus ingemiscit, mæret, plorat: fatiscit, sudat.

Tantànè res erat salus nostra, mi Domine, ut eam tanti æstimares, & tantis impendiis, resarcires? Tam pretiosæ in oculis tuis erant animæ nostræ, ut eis redimendis tantum,

Et tam copiosum destinares pretium? Adeone diligens me tradidisti temeripsum pro me, ne perennibus traderer flammis? Ergo non diligam te, sed tradam me hostibus tuis? Potius, Domine, trado me tibi vel nunc, ut disponas de me in tempore & æternitate, ut tantam miserationes tuas stupendas & magnas in æternum, & ultra.

Christus in horto comprehenditur.

Penetra cor Salvatoris: vide cum quo qua promptitudine & charitate morti sese offerat, cum qua alacritate obviam procedat proditori Judæ, & carnificibus.

Judæ, quid agis? amoris signo vulnus infligis? charitatis officio sanguinem fundis? instrumento pacis mortem interrogas?

Vide, quomodo unico verbo omnes satellites straverit in terram, ne prosterneret in inferno.

Considera duritiam satellitum, qui

nec

nec horrore mortis perterriti, nec blandimento charitatis commoti, quem noluerunt propitium habere Salvatorem, sibi elegerunt Judicem severissimum.

Obstupescere, quomodo viles & barbari milites in Agnum innocentem cum ingenti clamore irruunt: alii caput benedictum pugnis, alii fustibus cedunt; brachia cæteri funibus tam sarctè stringunt, ut sanguis prosiliat è venis.

Comitare ulteriùs Christum, quem ad impiam pertrahunt civitatem. Quoque antiùs hastis & calcibus te propellunt, mi Jesu! quot à tergo te lapidibus impellunt!

Insuper comitare Christum raptatum ad tribunal Annæ, capite discooperto, facie livida, manibus post tergum victis, pedibus sanguinolentis.

O prodigium! en innocentissimus Sol justitiæ ad iniquitatis tribunalia consiscit. Stat sine advocato Innocentia, sine patrono Veritas, sine voce Verbum. Quid enim lo-

que-

que-

queretur, cui jam nuper ferale Hærodis imperium ad saltatriculæ vorum vocem eripuerat?

Considera, quam torvis & ardentibus oculis ille aspiciat Salvatorem, quam superbè interroget, & sciscitetur ab eo de doctrina & discipulis.

Eheu! obstupescere, ut mox ad primam æternæ Sapientiæ vocem, à quopiam ministrorum armata manu tam crudelissima alapa ei infligitur, ut dentes excusserit, & ex labiis sanguinem elicuerit.

Exhorrescat coelum ad tam inauditum facinus: contremiscat terra: alapa Deus percuti potuit! ò Angeli, quomodo manus continere potestis? an attonitos vos tenet facti insolentia?

Affectus.

Quid retribuam tibi, Domine Jesu, pro omnibus ludibriis, percussionibus, vilipendiis, derisionibus, & pro innumeris opprobriis

pro-

probriis, quibus pro me saturatus fuisti?

Eheu mæstissime, eheu dulcissime Jesu! Cur adeo ferreum ac lapideum cor habeo, quod compassione ac dolore non scinditur? cur præ dolore non tabescit anima mea, quandoquidem tam immanium dolorum & cruciatuum causa est pessima vita mea?

Potuitne fieri, ut pro me vilissimo vermiculo talia Deus pateretur? Eheu patitur: quia pro me conculcatur, pro me Deus ligatur, & irridetur.

O amor infinite! quid retribuam tibi, qui pro me seruo nequam tantum, & innocentissimus, & amabilissimus Iuis? Fundam sanguinem: sed nocentissimus est. Fundam lacrymas: sed peccatrices sunt, immundæ sunt.

O æterna Sapientia, dulcis Jesu, pro hisce contumeliis, injuriis, irrisionibus, insanisque clamoribus, te honorent, te glorificent, & extollant omnium Beatorum agmina: & in so-

lo

lo tuo nomine, benedicite Jesu, omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, & inferorum.

Christus apud Caipham.

Cogita, qualiter Dominus nos-
ter, Rex Regum, & Domi-
nus dominantium sub vilissima spe-
cie pessimi servi, ab Anna ductus
fuit ad Caipham Pontificem illius
anni.

Attende, quia tibi juramento
Christus adstrictus aperte se dixit
esse Filium Dei, Caiphæ scidie vesti-
mentia sua, dicens coram omnibus
cum blasphemasse.

Insuper obstupescere. En expuunt
in faciem Domini: ò novum & inau-
ditum in terris spectaculum! ò faciem
Domini a lapis lividam! ò faciem fœ-
dis sputis maculatam!

O Pater, respice in faciem Chris-
ti tui, & miserere nostri, pro qui-
bus sic fœdatur. O si vel modo inci-
pant oculi mei ubertim flere, ut ita
eluant faciem Salvatoris mei!

ol

In-

Ingredere cum Domino tuo car-
cerem: quid tibi non tentat carnifi-
cum rabies? en tota nox in crudelissi-
ma Christi innocentiae supplicia exten-
ditur.

Considera anima mea celsitudi-
nem Domini Dei tui a deo profundè
exinabitam, ut verè nunc non homo,
sed vermis & opprobrium hominum,
ac abjectio plebis dici debeat.

Affectus.

ONox, quam meus Jesus ha-
buit ultimam in carne mor-
tali, quale tu spectaculum exhi-
buiti mundo, & Angelis, & ho-
minibus! Ecce dum medium silen-
tium tenent omnia, en Deus & ho-
mo, ab homine, & pro homine cir-
cumdatur doloribus: en lamentabi-
les Domini preces audiuntur à Pa-
tre!

O horror caeli! ò scelus mundi!
ò dolor, & amor Dei mei! Quid
tibi mi Jesu cum terra? quid tibi
cum homine? ut redimeres servum,

-209

te

te ipsum servo illudendum tradidisti.

O quam magna miseratio, quam grauita & probata dilectio, quam inopinata dignatio, quam stupenda dulcedo! Regem gloriae pro suis inimicis assumere formam serui, tot suscipere labores & dolores!

O Cor meum plusquam lapideum, cur non accenderis amore tui Jesu? lapis calore solutus in cinerem vertitur, & tu ad tantum calorem immutabilis perseveras? O utinam, mi dulcis Jesu, amem te, seruiam tibi, laudibus prosequar te omnibus diebus ac noctibus vitæ meæ, ac deinde tota æternitate.

*Christus apud Pilatum &
Herodem.*

Vide quòd necdum dies illuxerit, & jam rumor captiuitatis Dominicæ per totam civitatem increbuerat: itaque omnes certatim currunt ubi à Senioribus populus aduersus Christum concitatur.

Observa quomodo Christum decer-

cernunt offerre Pilato præsidì mortì condemnandum. O bonè Deus, quantis cum ludibriis, impropriis per mediam civitatem rapitur!

Inspice Præsidentem Pontium prodire ad solium plenum arrogantia; Christum verò plenum confusione, catenis ligatum coram eo consistere.

Audi, quomodo reprobi illi satellites aduersus Dominum, tanquam canes latrant, falso Jesum insimulantes, quòd se Deum faceret & Regem, & subverteret populum.

Considera, quòd cum in multis Jesus accusaretur, nec in eo Præses causam mortis inueniret, remisit Christum ad Herodem, sub cuius erat potestate.

Cogita, quòd cum videret eum Herodes, putans eum mente captum, spreverit cum exercitu suo, ac illudens remiserit iterum ad Pilatum.

Observa, quòd Pilatus volens illum liberare, dedit sortem ejus cum Barabba homicida scelestissimo, & concesserit populo, ut peteret ex his duobus quem vellet dimitti.

Obs-

Obstupesce incredibilem Christi patientiam, qui cum esset Deus veras de Deo vero, passus est, non modo se cum Barabba comparari, sed etiam quod indignissimum est, illi postponi.

Affectus. O mi dulcis Jesu, tuae circa nos pietatis dilectio!

O Admiranda quae mi dulcis Jesu, tuae circa nos pietatis dilectio! Quomodo tu qui tribus digitis appendis terrae molem, qui sedes super Cherubim, & intueris abyssos, tam crudeliter, tam immaniter torquori à reprobis permisisti? Quid commisisti Domine, ut sic judicareris? quod scelus tuum? quae noxa tua?

O mirabilis mysterii dispositio! peccat iniquus, & punitur iustus, offendit impius, & damnatur pius, quod perpetrat servus exolvit Dominus, quod commisit homo, sustinet Deus.

Quid ad haec? ò anima mea? utinam nunc saltem amem te, mi Deus, sed amem ex toto corde,

ex

ex tota anima, amem ex omnibus viribus meis.

Utinam obverseris semper menti meae, ò vita mea, ò amor meus! utinam ad te semper suspirem, ò desiderium, ad te semper confugiam, ò asylum meum; semper advolvar pedibus tuis, ò mi Domine, semper sim inter amplexus tuos, ò mi Sponse!

Christus flagellatur.

Vide, ut agnum mansuetum impius Praeses ad sedandum populi furorem, Christum tradit flagellandum.

Inspice cum qua ferocitate Christus alligatur columna, aliis manus vincientibus, aliis brachia contorquentibus. Et ita Dominum stringunt, ut carnes disrupti, & foras sanguinem prosilire compulerint.

Admirare nunc cum lacrymis, Jesum ferri crudelissime, cutem dilaniari, viscera denudari: vide sanguinem defluentem in terram instar rivulorum.

Res-

Respice humeros, brachia, pectus, & totum corpus tui Salvatoris dilaniatum, totum corpus discerpitum.

O quantum prodigium! amor cruciat: fundit sanguinem, dilacerat, & nisi ipse sibi obstitisset, intermisisset.

Meditare hic, quomodo lictores percutiendo lassi sunt, & Christus necdum fatigatus est pro te flagellari. Quare cum amplius non possent crudelitatem suam in ipsum exercere, illum à columna solvunt.

Inspice, quòd doloribus plenus, totus dilaceratus præ frigore tremat, nudus, & sanguine madidus, ubicunque figit pedes, vestigia sanguinis relinquat.

Affectus.

Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer. Jesus Dei Filius in flagella nudatus est. Jesus meus Dominus in flagella paratus est. Nudatus, qui etiam omnia lilia agri sic vestit. Nuda-

datus est, qui sub umbra alarum suarum nos protegit. Vides hoc Sol, nec obscuraris?

Si hoc corpus templum Domini est, ubi nebula? si Sanctum Sanctorum, ubi velum? si tuus est Filius, Virgo Mater, ubi tunica inconsutilis? si hic Filius tuus dilectus; Pater æterne, ubi nubes lucida est?

O mæstissima Virgo, quos fontes lacrymarum dicam erupisse de castissimis oculis tuis, cum cerneres Filium tuum coram te ligari, flagellari, & carnem de carne tua tam crudeliter & immaniter dissecari!

Quò, obsecro mi Deus, quò tua descendit humilitas, quò processit pietas, quò tua flagravat charitas? Ego crimen edidi; tu torture subjiceris: ego fruo deliciis; tu ad columnam in sanguine natas. Quid est hoc? quid fecisti Rex meus & Deus meus? quid retribuam tibi pro omnibus, quæ tu tribuisti mihi?

Benedicam te Domine millia millium Angelorum. Non hoc satis: Benedicat te, benignissime Jesu, mul-

tudo miserationum tuarum, & amoris tui melliflui suavissima viscera, in quibus visitasti nos oriens ex alto, in quibus redemisti nos, & lavasti nos à peccatis nostris in sanguine & vulneribus tuis.

Christus spinis coronatur,

Vide novam immanitatem satellitum, qui horridam coronam de spinis, & acutissimis juncis marinis capiti jam satis cruentato infigunt, & imponunt.

Considera (ut dicit S. Bernardus) illas spinas, non solum carnem & nervos perforasse, verùm etiam ipsa ossa, necnon ipsum cerebrum penetrasse.

Imaginare, quòd videas sanguinem cerebri humore mistum ex omni parte per capillos & faciem defluere.

Dic ex corde: O Pater, jam istud caput non semel sudavit sanguinem; cur spinis eundem elicit justitia tua?

O sacrata spinæ parce, parce

sa-

sacro illi & innocuo capiti; venite potius & vertite aculeum contra me, pungite cor meum puncturis pœnitentiæ, ut si non sanguinem, saltem vel lacrymam possitis è corde duro elicere.

Ulteriùs mente progredere, & vide quomodo velant faciem Domini turpissimà vità, & percutientes faciem & caput ejus alapis, illudunt ei.

Consiste hic parumper, & accuratè perspice factum Pilati, qui rabiem infernalis turbæ volens sedare, Christum totum deformatum, & tam crudeliter dilaniatum ad propyleum jussit duci.

Audi verba Pilati Christum plebi monstrantis: Ecce homo. Convertite tu hæc verba Pilati ad Patrem.

O Pater! ecce Homo: ecce Filius tuus dilectus, tam crudeliter dilaniatus: ecce Homo plusquam barbara, plusquam belluinà Judæorum sævitia tractatus.

O Mater! ecce Homo: vide an hæc non tunica, sed caro Filii tui

K sit?

sit? verè fera pessima devoravit eum!
O Angeli pacis, ò anima Christiana!
ecce Homo: sed eheu! jam verè ex-
clamare poteris, quia non novi homi-
nem, nam non est ei species, neque
decor.

O peccator! Ecce Homo: ecce
caput pro te spinis coronatum: ec-
ce facies pro te sputis & alapis li-
vida: ecce oculi in lacrymis &
morte natantes: ecce os & labia mox
felle replenda.

Affectus.

O Anima mea, non diffuis la-
crymis? amore non conflagras?
Ecce tuus Homo: en vide
novum crudelitatis inventum dolo-
rosissimum: savissimi lanienæ minis-
tri spineam coronam capiti Salvatoris
imponunt, & ipsum penetrant cra-
nium.

Ah dolorosissime Jesu, vivis? na-
tura non succumbit adeo læsa? mira-
culis opus est, ut graviora pro me pa-
tiaris.

Egre-

Egrederè nunc filia Syon, egre-
dere ò Virgo Mater, & vide Fi-
lium tuum Jesum in diademate,
quo coronavit eum improba Sy-
nagoga. O Rex mundi, ò gloria
coeli, hoc est regnum tuum, in quod
natus est?

Ergonè, qui me gloria & ho-
nore coronavit, dolore ipsemet &
dedecore coronatur? Qui dedit or-
namenta aurea capiti meo, serva-
vit teumenta spinea capiti suo? qui
coronat me in misericordia & mise-
rationibus, spinis ipse non renuit co-
ronari? qui mihi repositam habet co-
ronam justitiæ, solam sibi coronam
patientiæ reservavit?

O patientissime Jesu! quis tibi
animus? quem summa humilitate
jussu Patris adorant omnes Angeli,
hunc coronatum summo ludibrio
adorant milites vilissimi? O qua-
le amantissimi Jesu opprobrium! irri-
dent, insultant, blasphemant, alapas
ingeminant.

O mi Creator, ò mi Redemp-
tor, quantum tibi debe! ò si An-

K 2

ge-

gelorum linguas haberem, quibus misericordias tuas in æternum concinerem! ò si nunquam è memoria mea excideret amor tuus! ò si die noctuque clamare possem cum omni creatura, quæ in cælo est & in terra: Sanctus, Sanctus Dominus Deus!

Christus crucem bajulat.

Inspecte cum lacrymis, quomodo humeris mitissimi Agni enervatis & contractis imponunt ponderosam illam crucis molem, cæteris omnibus hoc lignum ferre recusantibus. Eheu! quid facies bone Jesu, quia viribus es destitutus?

Cogita tecum, quis unquam vidit reum ferre crucem suam & patibulum, cui affligendus? contra commune jus gentium est; portare tamen innocentissimus Jesus cogitur.

Contemplare Dominum crucem bajulantem. Quam illa inhumaniter, ò Jesu, corrodit & conquassat humeros tuos, quam profundè

car-

carni usque ad ossa infigitur! Quid ultra facies mi Jesu?

Perge tamen, perge mi Redemptor, constanter progredere: erige te, mi Jesu, novas assume vires, deducat te Pater tuus caelestis & confortet, stipent latus tuum Angelici Spiritus, & solentur.

Proficiscere mi bone Viator, proficiscere ut nos redimas, peccata nostra te ligarunt, & in miseras has adduxerunt.

Considera, quoties ob nimiam lassitudinem, & carnificum furiam, sub crucis pondere Christus corruit; quoties nefarii satellites è vestigio in eum insiliant, capillis trahunt, calcibus protrudunt, à tergo lapidibus impetunt.

O prodigium! en cadit Verbum Dei secus viam, & conculcatur ab hominibus. En cadit, per quem cuncti stant; infirmatur, per quem omnes roborantur; in terra Deus jaceret, per quem homines eriguntur in cælum.

Intuere, ut occurrit & mæsta

K 3

Ma-

Mater in montem Calvaria eunti Filio. Quo pergis, ò Virgo Mater, inter militum armorum catervas? Ergone dilectum Filium tuum extremo supplicio affici conspicias?

Meditare nunc, quo cum ardore; quibus lacrymis invicem sese complexi sunt. Quoties ingemuisse putas tunc matrem Matrem lugendo Filium, & dixisse: Fili mi Jesu, Jesu Fili mi, quis mihi det, ut tecum & pro te moriar, Fili mi dulcis Jesu?

Contemplare, cum qua rabie canes illi inhumano quodam impulsu inproperantes ei, Matrem à Filio repellunt, & eum semimortuum protrudent.

Vide, ò homo, quomodo patiuntur, & lacrymis disfluunt pro te Jesus & Maria: cur ergo tu ferreum cor non commoveris? cur non fles pro te ipso?

Affectus

Affectus.

TUUS, ò Domine, ingressus in mundum, & egressus è mundo, quàm dispar est! cantantibus Angelis ingressus es; Angelis pacis amare flentibus egressus es. Inredientem te Virgo Mater utero, brachiisque portavit; egredienti tibi gravis crux, ingens illud & infame tormentum, portanda imponitur.

O potentia æterni Patris, quam imbecillis facta es! ò virtus mundi, quàm infirma effecta es! ò sustentator universæ terræ, quàm infra omnia abjectus es!

Tu athera firmasti sursum, & nemo te confirmat; tu appendisti fundamenta terræ, & nemo te sustentat; tu, cum ceciderit è nobis aliquis, supinis manum tuam: tibi, postquam tam dirè collapsus, imò collisus es, nemo ex omnibus adhibet in auxilium ultimum manum suam.

K 4

Quis

Quis ergo mihi nunc dabit aquas, ut plangam in amaritudine animæ meæ Jesum meum sanguine decoloratum, sputis fœdatum, post sanguineum sudorem, post dura vincula, post crudelem flagellationem, post horridam coronationem, crucifigendum?

O Angeli, ò creaturæ omnes lugentes currite, quia ecce Filius Dei in extremis est. Ecce mundi salus extinguitur. Ecce Salvator noscer ad atrocita tormenta, ad vestium spoliationem, ad vulnere innovationem, ad fellis potum, ad acerbissimam fossis manibus pedibusque lanienam, ad infame suspendium, ad novos gemitus, ad clamorem validum & lacrymas, & amarissimam mortem pergit.

Christus crucifigitur.

Subsiste jam cum Christo in monte Calvarie, & diligenter inspicice, quomodo carnifices detrahan cum immani violentia vestes

Chris-

Christi, vulneribus ob sanguinem concretum adhærentes.

Intuere Christum præ summo frigore, toto corpore trementem, cum nudus vento & aeri asperrimæ hyemis tempore exponatur.

Cogita, quàm ingens confusio ejus fuit, cum videret se nudatum in præsentia tantæ multitudinis consistere.

Deinceps animo finge te coram intueri carnifices immanissimè Christum in terram substernentes, & Agnum mitissimum manus & pedes extendentem, ut clavis crucifigeretur.

Erigitur dentum Crux, & si quæsisisti sæpe, ò anima Christiana, à Domino tuo Jesu, & dixisti: Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascat, ubi cubet in meridie? Ecce cubat in monte Calvarie, medius inter latrones, nudus, lividus, cruentatus, extensus in duro lecto crucis.

Affectus.

O Spectaculum luctuosissimum !
Deus suspenditur : Deus occiditur : laxentur ingemitus ora, mergantur oculi nostri lacrymarum pelago.

Aspice nunc , ò Pater, caput Filii tui ; intuere cervicem, olim instar nivis candidissimam, nunc inclinatam & exsanguem.

Desige oculos, ò mæsta Mater, in faciem dilecti Filii tui, & in membra Christi tui : vide quàm obscurata sit pulchritudo oculorum, quantum palleat color regii vultus.

O Deus, ò Jesu mi ! adoro te in hoc throno doloris & ignominie. O si mihi liceret per te, ut sacram tuorum pedum aram millies exosculer, manentemque inde cruorem lacrymarum imbre diluam !

O anima mea, dic saltem à longè ultimum vale Salvatori tuo. Vale ergo mi Redemptor : Vale, ò Frater amabilis nimis : Vale ò Spon-

se animarum nostrarum. Sed prius ante discessum da benedictionem, da Frater amplexum. Da crucifixoribus tuis orationis affectum, latroni paradisum, matri filium, filio matrem, mortuis vitam, toti mundo sanguinem tuum.

*Christus clamans voce magna
expirat.*

Intuere anima mea, quia jam tandem exacto tormentorum itinere, sese durissimum in lectum fessus Viator quieturus reponit : & audi quid loquatur ad te de lectulo crucis.

Audio, clamat Jesus, Pater ignosce illis. Quid est hoc ? Jesus flagellis cæsus est, spinis coronatus, affixus patibulo, omnium tamen dolorum immemor ait, ignosce illis. O amor ineffabilis ! is, qui hætenus in propria causa tacuit, nunc causâ inimicorum disertus est.

Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me ? Derelictus es, mi Jesu, sed

sed propter me; quia ego sæpius dereliqui Deum meum, fontem aquæ vivæ, & recessi à Deo salutari meo.

Sitio clamas, mi Jesu. Attendite animæ quantum diligit vos: tot dolores perpressus Jesus propter vos, adhuc tamen dolores propter vos sinit; sinit sanguinem effundere, quem adhuc cecidit in corde.

Ecce Mater tua. Breve testamentum, parvum peculium facilè dispensatur. Nihil sibi ex suo restabat præter Matrem, & hanc tradidit discipulo.

Ecce Filius tuus. Filium effici Virginis, quid dulcius? Matrem habere Mariam, quid securius? O Mater non dedignare nos filios, quoniam Deus non est dedignatus te Matrem.

Consummatum est. Quid consummatum est, Domine Jesu? dolores tui, passio tua, charitas tua? ita sanè. Omnia transierunt, consummata sunt, perfecta sunt, præcipuè aurem charitas tua, quæ, cum dilexisses nos, usque in finem dilexisti.

In

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. O si & meum, mi dulcis Jesu, in agone egredientem de corpore spiritum in manus tuas susciperes!

Et inclinato capite emisit spiritum. Ergonè meus Jesus clamans voce magna, inclinato capite, ut mihi amplexum, mihi det osculum reconciliationis; inclinato capite, ut mihi dicat ad aurem cordis mei: Morior, & libenter morior amore tui; inclinato capite, ut inspirat in faciem meam spiraculum vitæ; inclinato capite tradidit spiritum?

Affectus.

O Anima mea! tradidit pro me Jesus spiritum & ego spiro? Verbum æternum pro me siluit, & ego loquor? Deus meus pro me mortuus est, & ego vivo?

O Jesu pro me crucifixe! quantum ego tibi dolorum causa fui! verè languores meos tulisti, bone Jesu, & dolores meos portasti. O Jesu,

Jesu,

Jesu, ò Amor, ò ardentissima charitas! utinam amore tui mori possem, & tibi vivere.

Admonitio.

Revoca tibi, Viator, in memoriam illa verba amoris plena Christi Domini ad S. Gertrudem prolata: Vide quomodo crucifixus sum amore tui, quomodo pendeo nudus, despectus, toto corpore vulneratus per singula membra distentus: & adhuc ita te amo, ut si aliter salutem consequi non posses vellem iterum mori pro te: & si fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptissima voluntate corpus meum traderem, eandemque passionem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus.

Cogita nunc, atque delibera quid tu illi debeas: erubescere, & confundere, quòd illi compati & crucem tuam tollere nolis.

Pra-

Oratio ad quinque vulnera Christi.

Salve vulnus benedictum dexteræ manus Domini mei Jesu Christi crucifixi pro me, & omnium hominum salute. Protegat me Domine, & deducat dextera tua; ut cum sæculum judicaturus adveneris, ad dexteram tuam constitutus audire merear cum electis: Venite benedicti Patris mei, percipere regnum vobis paratum à constitutione mundi. Amen.

Salve beatificum vulnus sinistræ manus Salvatoris mei Jesu Christi pretiosissimo ejus sanguine purpuratum. Comprime vires hostium qui quærunt animam meam. Dic animæ meæ, salus tua ego sum; ut de manu inimicorum meorum liberatus, serviam tibi omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

Salve gratiosum vulnus dextri pedis Domini mei Jesu Christi, sanguis-

guine immaculato consperum. Perfice, Domine, pedes meos, ut per viam mandatorum tuorum incedam: dirige gressus meos in virtutem, & lucerna pedibus meis sit verbum tuum, & lumen semitis meis; ut etiam proximis lucis exempla præbeam, quatenus tu Deus meus in omnibus, & ante omnia glorificeris nunc & in æternum. Amen.

Salve venerabile vulnus sinistri pedis Christi sanguine madefactum. Evelle, Domine, pedes meos à laqueo, quem statuerunt mihi inimici mei. Non veniat mihi pes superbiæ, sed in simplicitate cordis mei incedam coram te omni tempore. Edoce me vias tuas, ut sciam quid acceptum sit coram te, & opere compleam universa, quæ præcipisti mihi. Amen.

Salve vulnus saluberrimum cordis Jesu Christi crudeli cuspidè influctum, è quo sanguis & aqua copiosè emanarunt in ablutionem peccatorum nostrorum. Munda me, Deus,

Deus, purissimo hoc sanguine, & aqua salutari, ut ab omni labe emundatus, & Deum Salvatorem meum, quem soli mundo corde videbunt, in omni æternitate valeam contemplari. Amen.

Passio Domini nostri Jesu Christi sit semper in cordibus nostris.

PII AFFECTUS.

Ex vita Jesu Christi.

Domine Jesu Christe, concede mihi misero peccatori vitam, & mores tuos præ oculis mentis semper habere, & pro viribus imitari.

O charitas infinita, & admiranda dignatio tua, Domine! ut servum recideres. Filium tradidisti.

Salve dies tot ætatibus optata, qua Deus pro nobis factus est homo. Salve Gabriel Archangele tanti gaudii annuntiator. Salve Virgo gloriosa, in ejus castissimo utero carnem assumpsit Deus. Chris-

Christe Salvator, qui adhuc clausus maternis visceribus ad Præcurso-rem sanctificandum properasti, da mihi peccatorum veniam, & spiritua-lem in tuo obsequio lætitiā.

Jesu amabilissime, qui pro me in stabulo nasci voluisti, illumina mentem meam, & voluntatem, ut Nativitatem tuam contemplari valeam, & elucentes in ea virtutes imitari.

Laudo te, Redemptor mundi, pro prima sanguinis tui in tenerrima atate effusione, cum tu caro immaculata pœnam circumcisionis, quam nos meruimus, sustinuit.

Benedico te, sanctissime Redemptor, qui voluisti in templo præsentari, & ut nobis veræ obedientiæ exemplum relinqueres, te legalibus institutis, tanquam unus de populo subdidisti. Da mihi in omnibus perfectam obedientiam, & voluntatis meæ abnegationem.

Da mihi, bone Jesu, radium aliquem illius lucis, quem sancto seni Simeoni tribuisti, cum te infan-
tem

tem in ulnas suas suscepit, ut te agnoscam & amem, sicut ille te novit & amavit.

Nihil scimus de te, ò Sapiētia incarnata, usque ad annum duodecimum ætatis tuæ, & multa scimus: ipsa enim taciturnitas tua clamat in cordibus nostris, ut silentium tuum, & humilitatem admiremur & imitemur.

Congratulor tibi, beatissima Virgo, quòd dilectissimum Filium tuum inveneris in Templo in medio Doctorum sedentem, prudenter interrogantem, & modestè respondentem: ora pro me, ne unquam illum amittam, aut ab eo discedam.

Domine Jesu, fons bonitatis, & origo virtutum, qui à baptismo Joannis prædicationem tuam auspicias es: quid tibi & baptismo isti, cum sis innocentissimus? O humilitas Christi, quantum confundis superbiam, & vanitatem meam!

Imple me Domine, Spiritu sancto, ut eo inspirante, sequar te in desertum, & secedam ab hominibus,

bus, orationi, jejunio, & poenitentiae incumbens.

Confiteor tibi Pater, quia Redemptionis nostrae mysteria abscondisti à sapientibus, & prudentibus hujus saeculi, & parvulis piscatoribus revelasti; ut mundi sapientiam destrueres; fac me parvulum in oculis meis, ut magna fiant in tuis.

Salvator potentissime, qui tot miracula verbo virtutis tuae patrare dignatus es; innova signa & mirabilia, & animae meae languores sana, eamque resuscita à morte vitiorum.

Dulcis Jesu, qui tanto fervore & festinatione in Jerusalem ascendisti, ut durissimam mortem pro me patereris; fac me alacrem & ferventem ad omnia quaecunque volueris pro te sustinenda.

Salvator mundi, qui à perdito discipulo venditus fuisti; ne quæso permittas, ut pro vili pretio rerum terrenarum te summum bonum meum vendam, & derelinquam.

Humilissime Jesu, qui servili ob-

se-

sequio lavasti pedes discipulorum tuorum, lava me ab iniquitate mea, & à spiritu superbia libera me.

O dilecte cordis mei, qui, imminente passione tua, perpetui amoris tui pignus immensum reliquisti nobis, corpus tuum scilicet in cibum, & sanguinem in potum: præpara me ad hoc convivium, & orna animam meam virtutibus.

Laudo & glorifico te, mirissime Jesu, pro tua ineffabili mansuetudine, quam ostendisti à perfido discipulo osculo traditus, ab impiis comprehensus, per diversa tribunaia crudeliter tractus, nequissimo latrone nocentior proclamatus, ad columnam ligatus, & flagellatus, spinea corona coronatus, & ab iniquo judice morte turpissima damnatus: respice animam meam, & fac me habere spiritum lenitatis, & mansuetudinis erga proximum meum.

Proficiscere, bone Jesu, ligno crucis onustus, sed multò magis amoris pondere pressus; & qui do-

lo-

lore tuo nos parcis, parce peccatis meis.

Amantissime Jesu, qui tam inhumaniter in Cruce extendi & crucifigi voluisti; præsta, ut clavis timoris tui cruci tue perpetuò affixus maneam.

Jesu vita morientium, qui cum jam mortuus esses pro nobis, latus tuum lancea aperiri voluisti, ut accedentibus ad te facilis pateret aditus ad cor; admitte me in latus tuum, ut in eo sic requies mea in sæculum sæculi.

Gratias tibi ago, Salvator mundi, quia opus Redemptionis nostræ perfectissimè peregisti; perfice & in me opus quod incœpisti, ut plena in me & consummata justitia reperiat.

O Triumphator gloriosissime, fac me participem passionis tuæ, ut sim etiam resurrectionis: tecum moriar, ut tecum resurgam, & tecum tandem ascendam in cælum.

Rex sempiternæ, qui sedes ad dexteram Patris, traha me post te; ut

ut illic semper fixum sit cor meum, ubi tu es thesaurus meus, & gloria mea, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

CAPUT VI.

Aspirationes Viatoris pro felici morte ad Christum.

NON intres in iudicium cum seruo tuo Domine Jesu, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Ne memineris, bone Jesu, iniquitatum mearum: citò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis.

Ne tradas, Domine Jesu, bestiis animam conscientem tibi: & animam pauperis tui ne obliviscaris in finem.

Illumina, mansuetissime Jesu, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicar inimicus meus, prævalui adversus eum.

Tuus